

**Mæcenatibus
hospitibus ...
rector academia
Aboensis, Claudius
Ekeblad ... P...**

Ekeblad, Clas,

17 Taad Fo1.



National Library
of Sweden

**MÆCENATIBUS
HOSPITIBUSQUE
MAXIMIS,
PATRONIS MAGNIS,
PATRIBUS, CIVIBUSQUE ACADE-
MICIS ET VRBICIS,
RECTOR ACADEMIÆ ABOENSIS,
CLAUDIUS
EKEBLAD,
COMES de STOLA.**

S. P. D.





Post Reges, rerum humanarum in

his terris summos arbitros, proxime imperiorum faces levare, & Magistratum bene gerere, arduum ac difficile opus esse, nemo facile negabit, qui muneris hujus labores, plus quam Herculeos, penitus rimatus fuerit. Universam namque multitudinem inquietam, discordem & turbidam, leniter sub commune obedientiae jugum redigere, leges & jussa ponere, pacem & bella moderari; breviter: suis vigiliis omnium domos defendere, suo labore reliquorum otium, sua industria civium delicias, sua occupatione eorum redimere vacationem, munus certe vastum & amplissimum est, cui rite obeundo, non nisi animus ex divina mente delibutus, sufficere potest. Hinc, inter civilium disciplinarum Doctores, gravis est orta quaestio: quænam ingenia, quæ subsidia, quæve ætas his negotiis sit aptissima. Fatentur omnes divinum esse munus, & ab iis, qui ad Deorum naturam, quantum mortalibus datum est, quam maxime accedunt, hoc est, qui PIETATE, JUSTITIA, CONSTANTIA, SAPIENTIA & PRUDENTIA reliquos antecellunt, administrari debere. Dicunt haud facile cadere posse hæc bona omnia in juvenilis ætatis homines, quorum consilia tantum non omnia lubrica sunt, & affectuum quadam rabie & impetu feruntur, ad delectationem magis, quam ad usum comparata, haud secus ac quidam fructus ad videndi voluptatem enati, quos si ad gustum transferre velis, famem ingrato aut noxio succo fallunt. Accusant deinde nonnulli, qui, ut proverbium vetus habet, sexagenarios de ponte dejicere laborant, confectas, vergente ad lenium ætate, vires, utpote ad tanta munera debiles & invalidas. Adeo ut, in cœlu & orbe toto, qua patet, humani generis, tantis rebus ex arte parem invenire sibi haud posse videantur. Verum enim vero, cum, post Deum, præsidium rerum humanarum extra mortalitatis terminos quaerere haud fas sit, optio ex iis, quæ sub manibus sunt, & secula nostra ferunt, instituenda est. Proinde, quamvis perspicere sapientem, non nisi quam maxime sapientis esse videatur, non veremur derivare has partes tenendi, post Reges proxime, imperiorum claves in eorum dextras, quos natura, haud dubie in commune bonum & emolumentum humani generis, quam diutissime superstites esse voluit. Non enim nisi rara valde avis est juvenum virorum constantia, quæ sapientiam comitem habeat; rarissima vero illa, usus & experientiae genuina soboles, divina prudentia: sicuti paucas admodum ita generosas arbores, dicente Fabio, invenire licet, ubi statim cum planta fructus adsit. Ad illa igitur omnia, bonis avibus, digne expedienda, non tantum nati, sed a Deo ficti videntur, quodammodo divinitatis participes, senes, qui, tanquam gubernatores in navi reipublicæ, certius, ex longa in hoc roari navigatione, de periculis narrare & monere possunt, quam qui vela in altum nunquam dederunt, nec exæstuantis maris minaces fluctus, spumantesque scopulos unquam tentarunt. Hinc quoque ultimis & exactis annis tanta prærogativa, veneratio, auctoritas, sapientia & prudentia apud omnes cultiores gentes adjudicata est, ut nihil supra: sic respublicas Spartanorum, Romanorum, & Venetianam hodiernam, senum quammaxime consiliis fundatas stipatasque, præ aliis floruisse annuum fide constat. Quemadmodum autem agmen reliquarum virtutum, quibus innixa est reipublicæ salus, ducit Justitia; ita hujus quoque exer-

cen.



cendæ administrandæque provincia, jure quodam suo, verendam hanc sibi postulat ætatem, quæ sua tranquillitate, patientia, sobrietate, gratia & decore, aliorum iram, fastum, luxum, odium & probra reprimere possit. Unde veteres Mercurii imaginem in speciem viri senis effigere solebant, manibus pedibusque truncatam, & Justitiam quidem ipsam membris minus rite utentem; ut significarent, non tam corporis servitio, quam mentis & rationis arbitrio, quod in ætate provecus floret vigetque, consilia absolvi, judiciumque. Exemplum e longinquo petere haud opus, cum præsentia, eaque plurima, in promptu sint, & nobis quidem jam memorandum summum & maximum. Adest enim Ille Senatorii Ordinis splendor, ornamentum Judiciorum, exemplar antiquæ integritatis & morum sanctimoniam, germanæque Justitiæ solida & expressa imago, veneranda jam cælestis maxime insignis, consilioque, usu & prudentia, supra quam dici potest. **EXCELLENS, ILLUSTRISSIMUS et GENEROSISSIMUS COMES, DOMINUS**

JOHANNES CREUTZ;

Cui Diva Themis vicarium suum, his in locis, demandavit munus: Cujus in vultu auctoritas & gravitas resident; in oculis natalium splendor, insignesque immortalium Majorum Imagines lucent; ori comitas & iustitia insident; in animo autem fixam tenent sedem sapientia & justitia. Incomparabilis Hic juris Artistes, & Senex maxime venerandus, quam multis suspiriis, quamque ingenti votorum ambitu petitus sit, dictum propemodum est incredibile. Et jam quidem diu est, postquam Ipse, Divæ suæ munus obeundi causa, Holmiæ vasa collegit sua, huc ad nos abiturus. Ceterum fuere apud Augustissimum Regem grandia negotia, in quibus conficiendis Hujus fidissimi Amici prudentissimis consiliis uti vellent, atque levare. Tandem vero perventum est eo, ut Fennonicas hæc oras, fato quod felici nostro, terigerit idem **ILLUSTRISSIMUS COMES**, votivis omnium acclamationibus exceptus. Nunc autem, postquam ferias hæc æstivales reficiendis capeßendisque novis viribus dedit, quando Divæ suæ sacris Ipse, infirma licet valitudine laborans, sed omnes tamen excitans nervos, seque colligens ipsum, interesse vehementer cupit; quippe incredibili æquitatis observandæ studio impulsus, ut suum cuique jus tribuatur, innocentes comiter excipiantur, juventur; in licentiam nequitiamque omnem dignum statuatur supplicium; hunc sibi Camenæ nostræ honorem gloriamque exoptant, ut tantum Virum magnificentissima sua rostra jam adscensurum, festivo applausu & adpreccatione, publicisque prosequatur sermonibus. Et quemadmodum verba tanto negotio digna facere, non nisi paucissimis, iisque excellenti ingenio & singulari quadam dicendi facultate præditis, concessum est; ita, gaudente Patrum Academicorum ordine, oneri huic aptissimos suos humeros, & sponte & lubens, suppositus præclarus Themidis juxta ac Palladis Minister & Sacerdos, Professorii Ordinis insigne Decus, Jurisque, cum Romani, tum Patrii Doctor Celeberrimus, Amplissimus & Consultissimus **DOMINUS SAMUEL SCHULTEN.**

Quo de Oratore, tam apto & eximio, tanto magis habent, quo hac occasione sibi gratulentur Musæ nostræ, quanto luculentiora jam dudum, in scribendo dicendoque, miræ & inusitatæ facundiæ suæ ediderit specimina. Sed, quoniam huic festivitati celebrandæ vix una, vel sermonis, vel lingvæ ratio visa est suffectura; hanc libere fluentem, oreque Tulliano sonantem,

alte-

altera excipiet, pedibus metrisque vincita, Oratio Svethica, quam Astræ
Alumnus, & eximius Adolefcens, Dominus JOHANNES SCHULT,
deinceps habere laudabiliter constituit. Hos itaque sermones, pro faustis
& felicibus Divæ Themidis Sacrorum auspiciis, eorumque Præfulis pro-
spera valitudine, perpetuoque ad tantum exsequendum munus vigore,
quum die Mensis hujus XIII, peractis primum in Templo Cathedrali So-
lemnibus, proferri haberique statutum sit; VOS, ILLUSTRISSIMI DOMINI,
SUMMORUM JUDICIORUM PRÆSIDES EXCELLENTISSIMI, Fennoniæ nostræ Mæ-
cenates & PATRONI MAXIMI, OPTIMI, vereque ejus, hoc est, publico bono
nati, una cum omnibus divini muneris generosis Consortibus, summa animi
reverentia; Vos deinde, PERILLUSTRIS ac GENEROSISSIME DOMINE BARO, RE-
GIONIS hujus GUBERNATOR EXOPTATISSIME, et REVERENDISSIME ac EMINENTIS-
SIME DOMINE DOCTOR et EPISCOPE, REGIÆ hujus ACADEMIÆ PRO CAN-
CELLARIÆ MAGNIFICENTISSIME, observantia, qua par est, maxima; VOS de-
nique, PATRES CIVESQ; Academici, ceterique omnes HONORATISSIMI VIRI,
quocunque dignitatis & honorum gradu conspicui, perofficiale & amice
rogo, atque obrestor; velitis, ad dictum diem, pro tanta re, vestra
cum nostris conjungere vota, & par Orationum, quas bona fide polli-
ceor pulcras, benigni & faciles exaudire. Scrib. Aboæ die x. Mensis O-
ctobris Anni MDCCXXV.

